

## CODEXEINK FORRÁSAI.

---

### III.

*Czech-c. 165. 1.*

#### **De sancto Michael archangelo.**

Sancte Michael Archangele domini nostri Jesu Christi, qui venisti in adiutorium populo dei, subveni mihi apud altissimum iudicem, ut mihi peccatori donet remissionem omnium peccatorum meorum propter magnam miserationum suarum clementiam. Exaudi me clamantem sancte Michael atque invocantem te, et adiuua me maiestatem domini deprecantem et interpella per me gemiscentem et fac me liberum ab omnibus peccatis meis. Insuper obsecro te praeclarum atque decorum summae divinitatis ministrum, ut in novissimo die benigne suscipias animam meam in sinu tuo sanctissimo et perducas eam in locum refrigerii pacis et quietis, ubi sanctorum animae cum laetitia et inenarrabili gaudio futurum iudicium et gloriam beatæ resurrectionis expectant. Amen.

*Versus:* Ascendit fumes aromatum in conspectu domini, de manu angeli.

#### **Oratio.**

Deus cuius claritatis fulgore beatus Michael praececlit agmina angelorum, praesta quaesumus, ut sicut ille domo tuo principatum meruit possidere coelestem, ita nos ejus precibus vitam obtineamus aeternam. Per dominum.

---

*Czech-c. 159. 1. — Pest-c. 50., 91., 102., 124. 1.*

#### **Oratio.**

Domine Jesu Christe, qui beatæ Annae tantam gratiam donare dignatus es, ut gloriosissimam virginem Mariam matrem tuam in utero suo portare mereretur, da nobis quaesumus per intercessionem ipsius ac dilectissimæ filiae suæ Mariæ matris tuæ propitiationis abundantiam, ut per illarum intercessionem sacratissimas ab omni periculo corporis et animæ nos defendas et ad gaudia coelorum perducas.

---

*Czech.-c. 158. l.*

*Versus:* Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

**Collecta.**

Omnipotens sempiterne deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare unitatem, quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.

*Lobk.-c. 345. l. — Thewv.-c. 213. l.*

**Oratio**

coram imagine crucifixi dicenda, quam qui devote dixerit, tot dies indulgentiarum meretur, quot erant vulnera in corpore Jesu tempore passionis ejus; quas indulgentias contulit Gregorius papa tertius ad petitionem reginae Angliae.

Precor te, amantissime domine Jesu Christe, propter illam eximiam charitatem, qua humanum genus dilexisti, quando tu coelestis rex pendebas in ara crucis cum divina charitate, cum mitissima anima, cum tristissimo gestu, cum conturbatis sensibus, cum transfixo corde, cum prestrepentibus membris, cum verberato corpore, cum sanguineis vulneribus, cum deficientibus rivis, cum expansis brachiis, cum confixis pedibus, cum extensis venis, cum clamoroso ore, cum rauca voce, cum pallida facie, cum mortali colore, cum lachrimosis oculis, cum vertigine cerebri, cum ardenti amore, cum gemebundo gutture, cum sitibundis desideriiis, cum amaro gustu aceti et fellis, cum inclinato capite morte obviante, cum divisione tenerrimi corporis et deificae animae, cum aperto latere, cum origine viventis fontis. In ea charitate precor te, piissime et dulcissime domine Jesu Christe, quo cor tuum amarosum scindebatur: ut sis mihi placabilis super multitudine peccatorum meorum, ut compleas in bonis desiderium meum ac bonum et sanctum finem vitae meae: necnon gloriosam laetamque resurrectionem, mihi propter tuam largissimam misericordiam tribuere digneris. Qui vivis et regnas cum deo patre in unitate.

*Versus:* Proprio filio suo non pepercit deus. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

*Göm.-c. 38. l.*

**Hanc orationem compilavit Papa Johannes XII. concedens cuilibet transeunti cimiterium sive ecclesiam et orationem eandem devote legenti, tot dierum indulgentias, quot Christi fidelium corpora ibi sunt sepulta.**

Avete omnes Christi fideles animae, det vobis requiem ille, qui est vera requies, Jesus Christus filius dei vivi, qui natus est de immaculata virgine Maria, pro nostra omniumque salute. Et vos redemit suo pretiosa sanguine, benedicat vos et a poenis liberet, facietque vos resurgere in die resurrectionis et iudicii.



**Alia oratio.**

Salvete vos omnes fideles animae, quarum corpora hic et ubique requiescunt in pulvere, dominus noster Jesus Christus, qui vos et nos redemit suo pretiosissimo sanguine vos a poenis liberare (et angelis suis associans in coelis, secum sine fine gaudere. Amen.)

*Czech.-c. 169. l. — Peer.-c. 186. l. — Göm.-c. 153. l. — Thewr.-c. 63. l.*

**Oratio sancti Augustini a spiritu sancto revelata.**

Deus propitius esto mihi peccatori et custodi me, sis mecum omnibus diebus et noctibus vitae meae. Deus Abraham, deus Isaac, deus Jacob miserere mei et mitte mihi in adjutorium Sanctum Michael archangelum, qui me defendat et protegat ab omnibus inimicis meis. Sancte Michael archangele, defende me in periculo, ut non peream in tremendo iudicio. O sancte Michael archangele, per gratiam, quam meruisti, te deprecor et per unigenitum filium dei dominum nostrum Jesum Christum, ut eripias me hodie a periculo mortis. Sancte Gabriel, sancte Raphael, omnes sancti angeli et archangeli dei succurrite mihi, precor vos omnes virtutes coelorum, ut detis mihi auxilium et potentiam, ut nullus inimicus mihi nocere possit in via, nec in aqua, nec in igne, nec offendar a subitanea morte, nec me dormientem neque vigilantem opprimat aut laedat. Ecce crucem domini fugite partes adversae, vicit leo de tribu Juda, radix David alleluiah. Salvator mundi salva nos, qui per crucem et sanguinem tuum proprium redemisti nos, auxiliare nobis te deprecamur deus noster agyos otheos, agyos yschiros, agyos athanatos eleyson ymas. Sancte deus, sancte fortis sancte et immortalis miserere nobis. Crux Christi salva nos. Crux Christi protege nos. Crux Christi defende nos. In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

